

17

BVCCOLI,
corum Aeglo-
gæ quinque Si-
monis Lemnij
Emporici Rhe-
ti Cani.

BASILEAE, PER
Ioannem Oporinum.

Affecta & pubes demersa est mortis in arua
 Tabe oppressa urbis. nunc altera funere clades
 Insequitur parili. sed quo uenit orta per ipsum
 Aera causa malo, cur spirat & aura uenena?

Cirrheus.

Tēpus erat, quo tū dederat iam Phoebus aristas,
 Cesserat & geminis, ac cancri signa rubebant,
 Cum uenit infecto tabes tam lurida uento.
 Iamq; aer uitiatur aquis, atq; errat in ipsis
 Aedibus aura nocens, inclusaq; seuit in artus.
 Arida succensis ardescunt ilia membris,
 Falcifer heu uirus fundit lachrymabile tractus
 Aetheris, & surgit Mauors ad terga iuueni.
 Fitq; aestus ingens, uenis furit ignis amarus.
 Heu dolor atq; calor capitis dominantur in arce,
 Ut surgunt primū ueluti uertigine raptu
 Iam titubant pedibus, certis uestigia plantis
 Nulla tenent, capitis recidunt grauitate repressi,
 Erumpitq; ulcus membris letale ueneno.
 Intus saepe alijs tabes depascitur artus,
 Et caeca tantum flamma praecordia uexat.
 Hic cadit in putcos, undasq; resorbet auaras.
 Ille furens armis sese induit, & uocat hostes
 In pugnas atrox: cadit hic moriturus ab altis
 Procliuis lectis, animamq; effundit in auras.
 Palpitat aut spumans ad molle cubile ligatus.
 Ille prius mensas petit, & periturus auaro
 Gurgitat ore cibos, nec sat scriblita ferocens

Crebra

Crebra famem poterat sedare. hinc uentre repleto
 Decumbit moriens, & claudit lumina morte.
 Nil medicina iuuat, frustra medicamina dantur.
 Inq; ipsos furit artifices, herbaeque magistros.
 Occumbunt medici, nec prosunt gramina pesti.
 Dumque aliquis morbi forsans solatia ferre
 Nititur, in medijs perit heu conatibus umbras
 Pallentes mortem petiturus raptus ad atram.
 Talis in Argolicis arsit sub crimine castris
 Atridae, ut fuit Aridae indignatus Achilles,
 Cum pestis Graios nigro detruderet orco,
 Inq; Erebi tenebras, & regna carentia luce,
 Luctificasque nimis diri Plutonis arenas.
 Nec dum terna sibi repararat cornua Phoebe,
 Auriferum sed bis repleerat lutea discum,
 Cum iam octingentos rapuisset funere pestis
 Mortales lectis. tunc inflammatus Orion
 Et ferus arentes urebat Sirius agros,
 Ardescensque globo furiabat terga leonis
 Ignifero, & morbus saeuus crudelior astris
 Irruit incursum sternens iam nocte sub una
 Heu decies octo non deplorata feretris
 Asportanda, sed in curru iam mortis ad umbras,
 Huicque rotas pannus texit, ne stridor ab axe
 Siue rotis ullus pallentem suscitet urbi
 Horrorem, heu mortis subitae crudelis imago.
 Pestis amara urbi, labes Plutonia terris.

Meris.

Sed